Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1993

Quelle:
Copyright:

betur in toto *Bibliorum* corpore a *Caſſiodoro de Reyna* hiſpanice verſo, et non quidem *Bernae*, ut ex *Urſi* praefixa icone non nemo arbitratus eſt, ſed *Baſileae* apud *Thom. Guarinum* 4. impreſſo, quemadmodum Caſſiodorus ipſe ſua manu Exemplari a ſe Bibliothecae publ. *Baſileenſi* donato praeſcripſit. Vide *Dav. Clementis Biblioth. curioſ. hiſt. crit.* T. III. p. 456. Adde *Vogtii Catal. Libb. rar.* p. 114. et *Freytagii Anal. lit.* p. 111. Elegantiſſimo Bibliothecae noſtrae Palat. Exemplo adligata eſt *Suplicacion y Informacion Que fue preſentada a la Reyna de Francia por los fieles Chriſtianos de aquel Reyno* &c. *Por el Maeſtro Joan de Monte* &c. quae, cum ad calcem notetur impreſſa: *En Coſmopoli por Chriſtopboro Philáléto.* 1567. neſcio, quo modo *Longium ſuprac.* p. 363. in errorem induxit, ut *Bibliorum* hiſp. anni praedicti editionem inde effingeret. Ne igitur Editionem ejusmodi apud nos quaeras. Eſt vero nobis *Bibliorum Reynae* Exemplum aliud, quod *Jacobus* quidam *Zennegg Lindaviae* 1608. teſtatur, ſibi ab *Aug. Caſſiodoro de Reyna* apud Ducem *Oſtrogothiae Joachas* in *Suecia* linguas peregrinas profitente per ejus fratrem *Marcum Caſſiod. de Reyna* V. D. apud *Francofurtenſes* Miniſtrum a. 1603. dono miſſum, quem *Auguſtinum* et *Marcum* filios *Caſſiodori* interpretis fuiſſe putem. Hunc, ut Emtores alliceret, editioni ſuae *Decreta Concilii Tridentini* praefixiſſe, vix eſt, quod moneam.

DXIX.

Codex chartaceus hiſp. Sec. XVI. Folior. 413. 4. inſcribitur: *Declaraciones ſobre los Euangelios di Sant Matthbeo.* Prooemii initium: *Grandiſſimo teſtimonio dela verdad chriſtiana es eſte, que quando el hombre en las coſas que pertenecen a ella, no ſe ſirue en nada de ſu prudencia, ni de ſu razon humana, acierta, y quando ſe ſirue yerra* &c. In hoc *Prooemio* meminit Autor Interpretationis ſuae in *Pſalmos* et in *Epiſtolas Pauli* et *Petri*, docetque, quis ex Evangeliorum lectione fructus capiendus ſit. Commentarius ipſe audit: *El Evangelio de San Matteo traduzido fielmente del Griego en Romance caſtellano y declarado ſegun el Sentido litteral con muchas conſideraciones ſacadas de la lettra muy neceſſarias al biuir chriſtiano.* Autorem a Sacris catholicis alienum vel ea produnt, quae in C. XVI. de Confeſſione *Petri* commentatur. Atque hinc mox ſe mihi obtulit *Joh. Valdeſius* Hiſpanus, cujus dum Commentarium in *Ep. ad Rom.* et in I. *ad Corinth. Venetiis* 1556. et 1557. apud *Joh. Philadelphum*, ut quidem fert titulus, hiſpanice 8. editum perluſtro, eadem inſcriptio: *traduzida fielmente del Griego en romance Caſtellano*, eadem tractandi methodus, eadem phraſis adparet. Adde, quod in 613